



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sent. xxij. Ioan. xvi. Hæ locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In
mundo pressuram habebitis &c. xlij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

SENTENTIA XXIII. Ioannis 16.
 Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.
 In mundo pressuram habebitis: sed confidite:
 ego vici mundum.

PARACLESIS.

CAPVT
 XLII.
 August.
 Tract. 104.
 in Ioannem.

Cytil. in
 Ioan. lib. 11.
 cap. 13.

Hanc commendauit causam sermonis sui, ut in illo
 pacem haberent: propter quod totum agitur quod
 Christiani sumus. Hæc enim pax finem temporis non
 habet: & omnis pia nostre intentionis actio, si finis ipsa
 erit. Propter hæc Sacramentis eius imbuimur: propter
 hanc mirabilibus eius operibus & sermonibus erudimur:
 propter hæc spiritus eius pignus accepimus: propter hæc
 in eum credimus & speramus, & eius amore quantum
 donat accedimus. Hæc pace in pressuris omnibus consolamur:
 hæc à pressuris omnibus liberamur. Propter hæc
 omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac scilicet
 citius sine ulla tribulatione regnemus. Dixit ergo pro-
 pter quid omnia sit locutus, ut in illo scilicet pacem ha-
 berent, in mundo habentes pressuram: exhortatusque est,
 ut consideret, quoniam ipse vicit mundum. Omni peccato
 & omni mundana vexatione superior factus est Chris-
 stus. Cumque ipse vicerit, etiam illis qui propter eum
 tentantur, insignem largitur victoriam. Illud quoque
 poterit quispiam dicere: quemadmodum interitum &
 mortem Christus superauit, cum propter nos mortuus
 surrexit: sic & nos virtute illius à morte surrecturus
 peccatum quoque victuros: quoniam in illo primo
 factum fuit, & ab illo ad nos tanquam ad genus suum
 (homo enim verè factus est) hoc bonum transfunditur.
 Ita confidere oportet, à nobis quoque mundum posse
 vinci, cum à Christo, ut ab homine victus sit: qui
 generi humano ad hoc factus est: nam qui olim vince-
 bamus

hauritur, modo propter Christum vincimus. Nec mirum:
scimus ut Deus vicisset, nihil ad nos: cum autem ut
homo id fecerit, nos quoque in ipso id facimus.

SENTENTIÆ PRÆCLARIORES

ex memorabili prece D. N. Iesu Christi,
qua sub finem vitæ suæ filios Ecclesiæ suæ, tan-
quam pius paterfamiliās, Deo Patri commen-
davit.

Ex Ioannis Cap. 17.

De ardentissima D. N. Iesu Christi ad Patrem pre-
catione: eiusque perpetua efficacia.

POST adhortationem & consolationem discipulorū,
pabiturus Dominus, suosque relicturus, eos pro more
boni patrisfamiliās Deo patri commendat: ad quem
quamvis ipsi opus non esset oratione, nunc tamen, ut &
aliās, orationem ardentissimam habuit: ut et per eam
discipulis te statim faceret suam erga ipsos dilectionem,
curam, & providētiam, & eorum in se atque in Deum
patrem fiduciam confirmaret. In primis autem orat
pro sua, patrique clarificatione: deinde pro discipulis:
ac postremo pro fidelibus ceteris, qui per illos erāt cre-
dituri. Non existimabimus autem eam tunc à Chri-
sto tanto affectu effusam unā cū externo sono evanuisse,
sed etiamnum in conspectu Dei presentem esse & aequē
efficacem firmiter credemus. Neque enim Christus post-
quam in calum ascendit, desinit etiam hodie precari:
sed vox huius preceationis semper pro fidelibus sonat in
auribus Dei: conseruat uniuersam ecclesiam. Est enim
sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.
Itaque, eo quod maneat in aeternum, sempiternum ha-
bet sacerdotium: unde & saluare in perpetuum potest,
accedens per semetipsum ad Deum: semper viuens ad

CAPVT
XLIII.

Psal. 109.
Heb. 9.

Q² inter-